



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

LXXXVIII. An Christo Festi dies sint celebrandi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

Constantini teste Eusebio lib. 6. hist. c. 9. *Alexander Ierosolymam adorandi, & locorum Sanctorum videndi causa properavit. Quem S. Martyrem Centuriatores oppidò laudant. De Ierosolymitana peregrinatione ante Constantinum vide Bellarm. l. 3. de Sanctis c. 8. Ibidem de Romana ad Limina Apostolorum. Et eas Deo gratas accidisse, miracula subinde testabantur.*

3. Nec utilitates desunt certæ multis: 1. Vt, maior Dei honos ac Sanctorum in terris. 2. Laboriosior poenitentia ad maiorem satisfactionem. 3. Denotio insignior ex præsentia loci, Sancti, aut rei sacræ; cuius honori fit peregrinatio.

II. LUTHERO-CALVINISTÆ communiter ac certatim VOTA Sanctis facta detident, ac idololatriæ insimulant plerique omnes. Salsissimè verò ac blasphemè Erasmus in *Colloquio Naufragium*.

AUTOR. Longè sècius Patrum Sanctior Antiquitas. Testis Euseb. libr. 13. præparat. Euang. c. 7. *Nos vera pietatis milites, ut Dei Amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, Votaque illis facimus tanquam viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.* Manichæus Faustus apud S. August. lib. 20. c. 3. contra Faust. sic obiicit: *Idola vertistis in Martyres, quos Votis similibus colitis.*

DICES. Votum est actus religionis, soli Deo debitus; vt. & iuramentum, & Sacrificium. Num. 30. Deut. 31. Ies. 19. *Vota vouebunt Domino, & soluent.*

I. RESPONDET D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 5. Promissio Sanctis aut prælato facta, est materia Voti: at quæ fit Deo, est formale votum. Vt sancto promitti-

tur peregrinatio ipsa; at Deo, se eam impleturum. 2. Gaictanus ibid aliter: Sanctis vouetur non quæ creaturis; sed quæ Deus in eis habitat per gloriam: ita vt voueatur Deo in Sanctis. Ceu maledicta in Sanctos, tendunt in ipsum Deum.

Et Vota ea terminantur in Deum laeteticas; at in Sanctos quoque duleticas: id est, in Deum, vt Principium primum; in Sanctos, vt in mediatores. Vnde Votum vox est generalis, diciturque analogicè, Deo propriè & principaliter; Sanctis secundariò & mediatè.

Sicut autem votum fit Deo ad honorem, non ad utilitatem Dei, sed nostram: sic & Sanctis, tanquam Diis per participationem gloriæ; in qua securi & confirmati æternant.

#### Q V Æ S T I O LXXXVIII,

*An Christo licitè FESTA sanctiantur?*

LUTHERO-CALVINISTÆ, conspiciunt in hisce: 1. Festiuare, iuris esse Diuini ac naturalis. 2. Ius id determinandum à Pastoribus & Plebe. 3. Determinatum ad dies certos non obligare in conscientia per se: 4. Nec dies reddere determinatos Sanctiores. 5. Sanctis, Eucharistiæ; &c. dies consecrare, nefas. Vide in mea *Genealogia* part. 1. q. 30. In *Mendace Antipap.* p. 1. q. 8.

AUTOR. His contraria, (excepto primo) semper asseruit Ecclesia Dei.

I. *Vllum agere festum Veter. Testamenti cum Iudæis, nefas Christiano.* 1. Quia Rom. 14. Gal. 4. Col. 2. Paulus Iudaizantes coarguit Ebionitas. Mentiuntur igitur Magdeburgenses *Cent. 1. lib. 2. cap. 6.*

Pau-

Paulum indifferentem Sabbatum, Dominicamque coluisse. 2. Quin in Concilio Laodic. *Can. 29.* iudaizantes anathematizantur. Atque, ait *S. Greg. epist. 2. l. 11.* Antichristus Sabbatum est reducturus: quæ Iudæorum princeps est ceremonia.

II. *Festi dies, ob Mysterium, non solum ob politia ordinem, coluntur, uti ceteris Sanctiores, parsque divini cultus.* I. Quia Dominica celebratur ob mysterium Resurrectionis, teste *Aug. epist. 119.* & *Caluino Instit. lib. 2. cap. 8.* Et non ob ordinem politia.

RESPONDET Caluinus bifariam. 1. Dominicam coli, quod moneat, resurrectione abolitas esse figuras.

AT hoc, etsi falsum; tamen & mysteriosum est, & significatiuum: Ergo sibi contradicit ipsi.

2. Ait, se Ecclesiam nolle seruituti subicere diei; neque improbatum, si alium elegerit diem.

AT, 1. Hoc insolentissimè nouatorum est.

2. Quia, Omnia de Christo festa sunt mysteriosa; & ab ipsis Luthero-Caluinistis obseruantur præ aliis diebus festiui. Descendant autem inde ab Traditione Apostolica: teste *Augustinus epist. 118. & 119.*

3. Quia, dies festi à S. Patribus dicuntur Sacri, Mysteriosi, religiosi.

4. Quia, Si solum ratione politia dies distinguerentur, non foret fastus nefasto, nec festus festo solennior; sed æquales essent omnes: Non sunt autem æquales ipsismet nouatoribus; neque S. Patribus.

5. Quia, Obseruatio festorum, *Exod. 20.* ad Dei cultum pertinet ex præcepto

Decalogi: ergo & dierum discrimen est ex præcepto, quoad substantiam: etsi quoad determinationem dierum sit humanæ dispositionis.

6. Demum quia, Christus nascens consecrauit locum, moriens crucem, resurgens tumulum; Cur non & dies, quibus ea contigerunt? Si aræ, templa, locaque sint sancta & domus Dei; cur non & dies sancti dicantur?

III. *Ecclesia iustè obligat conscientias præcepto festorum, etsi contemptum, aut scandalum absit.* In præcepto autem continentur auditio Missæ; (siue, ut placet Sectariis, præsentia apud Cœnam) & Vacatio ab opere seruili. I. Quia, Festi obseruatio est iuris diuini: ergo determinatio quoque necessaria erat; & hæc item obseruatu necessaria: Cæteroquin liceret non seruare Dominicam, Pascha &c. 2. Quia, *Esther, cap. 9.* & *Mardocheus* instituerunt festum perenne & rectè. 3. Quia, sic ab exordio Ecclesia usurpauit instituere festa: apud *Bellarmin. libr. 3. de Sanctis c. 10.*

IV. *Festis non tenemur ex peculiari præcepto magis, quam aliis diebus, ad non peccandum; aut ad actum contritionis seu dilectionis Dei.* I. Ita *D. Tho. 2. 2. q. 122. a. 4.* contra *Scotum, Abulensem, Lyranum.* &c. Ratio: quia Ius diuinum prohibet opera propriè seruilia externa; at peccata sunt metaphoricè seruilia. Præcepta autem intelligi debent propriè. 2. Ecclesia determinauit Diuinum ius ad dies certos; & nusquam præcepit actus internos. Quia actus pii sunt finis huius præcepti: at finis non cadit sub præcepto, sed media. &c. Vide *Bell.*

S Quæ.